



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 20. Cæsar is adventus ad comitia Spirensia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. quarta Martii anno Domini millefimo  
A.C. 1543. quingentesimo quadragesimo tertio.

## §. XIX.

*Conimbricense Collegium a Lusitania  
Rege conditum.*

*Bouh. p. 352.* Ex quo summus Pontifex hanc Bullam  
*Orl. n. 546.* ediderat, mox plures Italiæ, Hispa-  
niæ, Germaniæ ac Belgii urbes ab Ignat-  
io tanquam supremo Societatis Capite-  
tales Evangelii operarios, qui sub ejus  
disciplina adoleverant, sibi submitti po-  
stulabant, huncque in finem eidem offe-  
rebant Collegia, in quibus rursum alii  
efformari possent: Inde factum, ut pau-  
cæ admodum Catholicorum regiones  
essent, ad quas Ignatii Discipulis non  
pateret aditus, præcipue vero in Lusi-  
tania Joannes hujus nominis tertius Co-  
nimbricæ in Beirana Provincia Societa-  
ti Collegium exstruxit, quod quasi Se-  
minarium esset illorum, qui ad novi  
Orbis regiones pro annuntianda Christi  
fide destinandi essent. Insuper idem  
Rex ex hisce Sociis unum sibi selege-  
rat, qui ipsius conscientiam moderaretur.

## §. XX.

*Cæsar is adventus ad comitia  
Spirensia.*

*Sleid. l. 15.* Sub idem tempus Carolus V. Cæsar  
*p. 502.* Cameraco discessit, ad Imperii comi-  
tia

tia sub finem mensis Januarii Spiræ celebranda profecturus, ubi etiam die nonna ejusdem mensis jamjam advenerat, præfensque aderat Ferdinandus ejusdem frater unacum cunctis Electoribus, ac omnibus ferme Principibus tam Catholicis, quam Protestantibus, quibus Imperator ex Bruxellensi urbe publicæ fidei ac securitatis literas die decima Decembris datas transmisit, exclusis tamen ab hoc privilegio omnibus & singulis, qui Cæsareæ Majestatis hostibus armorum societate juncti erant. Ceterum summus Pontifex, cum Religionis negotia non sine Sedis Apostolicæ præjudicio Spiræ agitari pertimesceret, exente anno priori Franciscum Sfondratum patria Mediolanensem, qui ex Melfiæ Episcopo postea Cardinalis fuit renuntiatus, eo ablegavit: cum vero inter tot bella ac hæreses suam spem unice in Dei auxilio repositam haberet, ideo in omnibus Christianæ Reipublicæ Provinciis publicas preces fieri decrevit, ipsusque ejusmodi supplicationes Romæ instituit, simulque pœnarum condonationes non minus amplas, quam Anni facri tempore concedi solent, omnibus illis indulxit, qui pro pace Ecclesiæ ac Principum unione suas ad Deum preces oblaturi essent.

## §. XXI.